

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 14. Exercitium spiritualis mendicitatis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

ram te Deus meus Pater & Fili & Spiritus Sancte, intendens hunc aetum continuare in efficacia tui benedicti & amantissimi cordis: Protestor inquam, quod nulli omnino cogitationi, verbo, vel actioni, quae contra te vel sanctissimam legem tuam, aut contra præcepta Ecclesiæ, & statuta regulæ meæ sint, assensum præbere volo: atque haec omnia à me semper elongare conabor, exhibendo me purum, & immaculatum in conspectu tuo. Audiant cœli, audiant Angeli, & cœlites universi hanc meam voluntatem, & protestationem. Audiat me terra, & incolæ ejus, sintque mihi universæ creaturæ testes vitæ emendationis, quam deinceps instituere decerno. Attentus sit infernus, & qui eum inhabitant maligni spiritus, animæ infelices æternis ignibus addictæ, quia eorum suggestiones, & peccata abominor & detestor, eorumque horribili exemplo tremo & expavescō. Sed quia ex me nihil sum, & nihil possum, instantissimè à te postulo, Domine Deus meus, omne quod mihi necessarium est ad amandum te, & serviendum tibi fideliter: Dum vero hoc dico, intendo hac mea petitione includere, ac simul unire, & offerre tibi omnes orationes omnium Angelorum, & Sanctorum, Beatissimæ Virginis & Jesu Christi Filii tui, omniumque electorum tuorum, quae vel mente, vel voce factæ sunt ab initio mundi, & fient usque in finem: omnique momento hunc aetum renovare intendo, certam habens confidentiam, quia tu Domine exaudies me per Jesum Christum Filium tuum, & per merita Sanctorum tuorum. Amen.

#### §. XIV. Exercitium spiritualis mendicitatis.

**Q**uia pauperes in hoc exilio sumus, mendicandum est nobis in terra viventium, ubi locus est magnarum eleemosynarum, à Rege, à Regina, & ab omni familia. Dividenda cœlestis patria in varios vicos, seu regiones, statuendo in una Angelos, in altera Patriarchas, & sic de reliquis. Porro Angelos considerabis tanquam nuncios,

nuncios & secretarios: Patriarchas & Prophetas, tanquam consiliarios: Apostolos ut judices: Martyres tanquam milites: Confessores tanquam thesaurarios; Virgines tanquam sponsas & dispensatrices. Praxis hujus exercitii his præceptis continetur. Primò, excitabis mentis torporem, considerando quām miser sis, & miserabilis, nudus, & cæcus: & expurgabis te à peccatis per compunctionem. Secundò, ascendes Sanctorum habitacula per devotam contemplationem. Tertiò, captabis benevolentiam, eos reverenter salutando, magnificè commendando, & te profundè humiliando. Quartò, expones miseriam tuam, quia reus es & infirmus, omni vitio plenus, omni virtute destitutus, passionibus subiectus. Quintò, sequetur pia, humilis, & instans oratio, in qua exprimes id quod petis tibi utile, & necessarium esse, & ab eis dumtaxat sperandum: pietatem eorum nulli unquam negatam, sed semper solitam omnibus misereri: te gratum, & memorem semper futurum. Sextò, tuam petitionem confirmabis variis probationibus, locis, & argumentis. Septimò, obsecrabis eos, & obtestaberis, per Dei misericordiam, & cætera attributa; per Christi mysteria, & pietatem eis exhibitam, per eorum charitatei, & viscera pietatis. Octavò, gratias ages Sanctis, quod à te exorari voluerint, quod crebrius tibi succurrere, & consolationem immittere dignati sint. Nonò, offeres Deo hoc exercitium in unione operum Christi, petens ab eo quæ à Sanctis postulasti. Hujus exercitii praxim diffusissimè tradit Gerson tractatu de spirituali mendicitate, Tono tertio.

#### §. XV. Exercitatio patientia cum aliquid adversi occurrit.

**C**um tibi aliqua evenerit adversitas, vel contrarietas, sive in corpore, sive in anima, sive in fama, & existimatione, statim configiens ad orationem, in qua remedium omnium malorum reperitur, petes à Deo virtutem patientiae. Postea respicies multitudinem peccatorum tuo-

C. Eona Opusc. Spirit.

I